



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 6. Si mulier sit suspecta, an licitum sit per immersionem in aquam explorare, an sit saga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**



Q. 6. Si mulier sit suspecta, an licitum sit 37  
 per submersionem in aquam explorare, an sit saga:  
 dicuntur enim sagæ habere ex pacto cum dæmone,  
 ut licet immergantur, tamen non demergantur,  
 sed supernatent. R. Non est hoc permittendum  
 Magistratui, quia est aliquid insolens & non  
 secundum Præscriptum Legum: Si tamen fiat,  
 Less. in Auct. V. *Magia* c. 1. putat secluso scandalo  
 non fore mortale, quia mea immersio nullum  
 habet annexum pactum cum dæmone, sed pactum  
 quod est inter dæmonem & sagam, respicit tantum  
 supernatationem sagæ, quæ sequitur post meam  
 immersionem, ego autem tantum volo per actio-  
 nem de se indifferentem deprehendere, an mulier  
 habeat illud pactum; sicuti, inquit Less. c. 3. si saga  
 haberet pactum cum dæmone, ut quamvis punge-  
 retur aciculis, tamen non sentiret dolorem, posset  
 etiam Magistratus experiri, an ita esset, ob ratio-  
 nem jam datam: addit tamen ex ejusmodi indicio  
 non licere procedere, nequidem ad torturam,  
 præsertim gravem, sed tantum esse signum proba-  
 bile, quod multis aliis junctum posset æquivalere  
 semi-plenæ probationi.

Auctores alii communiter cum *Binsf. & Delr.* 38  
 L. 4. c. 4. q. 4. & 5. damnant ejusmodi actiones, 1.  
 Quia aliàs etiam liceret per ferrum candens vel  
 prunas ardentes explorare, an aliqua esset adul-  
 tera. 2. Quia non licet cooperari actioni magicæ,  
 uti dictum est L. 2. n. 271. nec communicare  
 cum dæmone, nec sagam inducere ad illicitum  
 usum sui pacti.

Ad has rationes *Respondet Less.* Ad 1. n. conseq.  
 hic enim esset tentatio Dei, quia expectaretur 39  
 effectus miraculosus, quod non est de immersione  
 in aquam. Ad 2. dicit nihil horum fieri,



sed immergentem ista omnia tantum permittere, uti non censeor communicare cum hoste, nec concitare cives ad rebellionem, si, ut explore, an non habeant pactum cum hoste, eurem noctu horâ 12. in mœnibus accendi facem, de quo signo pro me invadendo dicebatur esse conventum inter illos, nec ideo sum causa, nisi tantum permissiva, quod cives viso signo renovent voluntatem rebellandi, sed tantum dedi occasionem per actionem de se licitam.

40 Quidquid sit de his, sufficit nobis, quod Ecclesia Probam illam graviter probibuerit, uti fuse ostendit *Delrio*, hinc dicimus eam saltem ideo esse illicitam.

## DUBIUM V.

*Quid sit maleficium, & quomodo possit tolli.*

41 **R**esp. I. Maleficium est vis nocendi aliis ex pacto & cooperatione dæmonis. Differt à Magia, quod hæc intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendū, *Tol. L. 4. c. 16. Fill. T. 24. c. 8. q. 1.*

R. II. Maleficium aliud dicitur Amatorium seu philtum, cujus usus est ad carnalem amorem vel odium excitandum, dæmone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem: Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur veneficium, quo alicui personæ, vel ejus bonis damnum infertur. *Fill. l. c. n. 183. Azor. Tom. 1. L. 9. c. 26.*

R. III. Contra maleficia uti licet, 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorcismis & Sacramentis Ecclesiæ, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum. &c. 3. Destructione signorum,

per